Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

corporis et sanguinis dominici refectio. utriusque tes
tamenti eis in ecclesia proponitur. Comedunt in actiue
uite exercitatione. bibunt in contemplatiue uite
dulcedine. Sic eos heliseus dimittit. quia sic eos
christus in patria uite reficit. Ad dominum suum abe
unt. quia per fidem spem et dilectionem. ad creatorem
deum redeunt. Latrones syrie in terram israel ultra
non uenerunt. quia predicatores gentium. ultra syna
gogam non impetunt. quam iam fidelem et ecclesiam secum
factam inuenerunt. SEQUITUR.
Factum est autem post hec. congregauit benadab rex
syrie uniuersum exercitum suum. et ascendit et obsi
debat samariam. Factaque est fames magna in sa
maria. et tamdiu obsessa est donec uenundaretur
caput asini lxxx. argenteis. et quarta pars cabi
stercoris columbarum quinque argenteis. Cumque
rex israel transiret per murum. mulier quedam excla
mauit ad eum dicens. Salua me domine mi rex.
Qui ait. Non saluet te dominus. Unde saluare te pos
sum. De area an de torculari. Dixitque ad eam
rex. Quid tibi uis. Que respondit. Mulier ista
dixit mihi. Da filium tuum ut comedamus eum ho
die. et filium meum comedemus cras. Coximus
ergo filium meum. et comedimus. Dixique ei die
altera. Da filium tuum ut comedamus eum. Que
abscondit filium suum. Quod cum audisset rex.
scidit uestimenta sua. et transiebat super murum. Vi
ditque omnis populus cilicium quo uestitus erat
rex ad carnem intrinsecus. et ait. Hec mihi faciat deus
et hec addat. si steterit caput helisei filii saphat.
super eum hodie. Heliseus autem sedebat in domo
sua. et senes sedebant cum eo. Premisitque. itaque
In principio sermonis huius aduer uirum.
tendum est. quicquid ueteris testamenti scripta locuntur. pro
phetia quedam est eorum. que sub gratia noui testamenti per
acta uel peragenda esse creduntur. Factum est inquit.
Ubicumque in canonica scriptura inuenitur factumque est.
aliquid magnum et memorabile per hoc innuitur. quod
subsequens narratio loquitur. Unde et hic ubi gen
tilis populi sublimitas quam per gratiam dei promeruit.
et iudeorum repulsio. et rursum eorundem con
uersio describitur: factum est pronotatur. quia mag
num magni dei extat factum. gentium electio.
iudaice plebis exclusio. et iterum in fine
mundi eorum collectio. Nunc ad indaganda
prophetie huius mysteria uerba uertamus. Congrega
uit benadab rex syrie uniuersum exercitum
suum. Per benadab regem syrie. qui filius spon
taneus interpretatur. gentilis populus non incongrue
designatur. Et iste gentium populus. filius spon
taneus dicitur: quia gratuita dei pietate. nullis
suis precedentibus meritis. ad fidem uocatus est crea
toris. Qui et idcirco nuncupatur filius spon
taneus. quia per misericordiam conditoris. ad fidem con
uersus. spontaneum et deuotum se patri suo celesti
prebuit. et preceptis illius uoluntarie se subdidit.
Benadab uniuersum exercitum suum congregauit.
quia ecclesia de gentibus innumerabilem sui multi
tudinem fidelium associauit. qui armis fidei
et uirtutum nichilominus se accingunt et pre
muniunt. et bonos milites regis summi bo
ni se ostendunt. Et ascendit inquit. et
obsedit samariam. Per samariam que ciui
tas iudeorum fuit. ipse populus iudaicus accipitur.
quia sepe illud quod continet. pro id quod continetur
exprimitur. Samaria enim asina interpretatur. per quam
stulticia figuratur. Miseri itaque iudei. qui per sa
mariam exprimuntur. ad tantam stulticiam erant
deuoluti. quod carnaliter legalibus cerimoniis in
tenti. negauerunt filium dei. Ob quam causam
ex iusto dei iudicio. euenire illis debuit hec
obsidio. Per hanc obsidionem illa dignitatis
eminentia intelligi ualet. qua gentilis populus
iudaico populo preminet. Iudeis namque pro illa
superbie sue stulticia. quod filium dei recipere
noluerunt expulsis. et in toto iam orbe dis
persis. populus christianorum qui per fidem humiliter redemp
tori suo se subdidit. super eos qui in lege tan
tummodo gloriantur principatum optinuit.
Et facta est fames magna in samaria.